



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TELLICHERRIENSIS*** NOVA PROVINCIA
ECCLESIASTICA TELLICHERRIENSIS CONSTITUITUR,

CUIUS METROPOLITANA SEDES ERIT ECCLESIA EIUSDEM NOMINIS Spirituali bono Christifidelium Ecclesiae Syro-Malabarensis providere cupiens, haec Apostolica Sedes anno millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio Eparchiam Tellicherriensem constituit. Anno quidem millesimo nongentesimo septuagesimo tertio, memorata Eparchia divisa, nova Eparchia Manantoddiensis est condita. Anno autem millesimo nongentesimo octogesimo tertio, quadam parte distracta ex eadem Eparchia Tellicherriensi, Eparchia Thamarasserrensis efformata est. Cum nunc opportunum videatur eas, quas diximus, Eparchias in ecclesiasticam Provinciam erigere quo ipsae Ecclesiae artiore inter se cohaereant vinculo debitoque honore augeantur, Nos, gravissimo fungentes munere Supremi Pastoris, hanc sententiam accipiendam esse censemus. Audito igitur Venerabili Fratrem Nostri Achille S.R.E. Cardinali Silvestrini, Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, summa Nostra potestate Provinciam ecclesiasticam *Tellicherriensem* constituimus, cuius Ecclesia princeps erit Eparchia hucusque Tellicherriensis, quam ad gradum et dignitatem Metropolitanæ Sedis evehimus, omnibus tributis iuribus, officiis ac privilegiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem uti suffraganeas Eparchias Manantoddiensem et Thamarasserrensem. Quae mandavimus ad effectum adducantur secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium actique negotii congrua documenta ad memoratam Congregationem mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse foreque volumus, contrariis quibus libet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO	ACHILLES card. SILVESTRINI
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Eccl. Orient. Praef.</i>

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 11, pp. 985-986 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana